Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26379
Copyright: Admont, Benediktinerstift

interpretatur: quod significat xpm quod dixit ego
ueni ut uitam habeant et habundantius habeant.
Et item. rogabo patrem meum et alium paraclytum
mittet uobis spiritum ueritatis quem mundus non potest
accipere. Noster uero exterior homo si per mortifica
tionem uitiorum corrumpitur. interior tamen de die in
diem renouatur et spiritalium incrementorum augetur
profectibus. donec de unoquoque nostrum spiritaliter dici
possit filius accrescens ioseph. Crescamus itaque
in caritate donec occurramus omnes in uirum per
fectum. in mensuram etatis plenitudinis xpi. ut
transeuntes de uirtute in uirtutem. et de timore
dei qui est initium sapientie. per gradus perfectionis
ascendentes ad caritatem que totius precepti
finis est postea uidere possimus deum deorum in syon.
Maria ut plerique estimant interpretatur illuminatrix
uel stella maris. sermone autem syro domina dicitur.
Bene autem illuminatrix dicitur. quia per ipsam lux totius
mundi natus est xpc. quia sicut per eue transgressi
onem in tenebris et umbra mortis eterne dap
nata est omnis terra. ita etiam per merita beate
semperque uirginis marie et per partum eius liberata
et sanctificata atque illuminata est omnis terra.